

8.26.6

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Argio.*

Si eo tempore, quo praedium distrahebatur, programmate admoniti creditores, cum praesentes essent, ius suum exsecuti non sunt, possunt videri obligationem pignoris amisisse.

*PP. III id. Febr. Maximo II et Aquilino consss.*

[a. 2S6]

8.26.7

*Idem AA. Paulo.*

Creditricem patrui tui sub obligatione fundi, qui per chirographum nexus pignori fuerat, iubentem eandem cautionem reddi pignoris etiam ius remisisse videri manifestum est.

*PP. V id. Sept. Diocletiano III et Maximiano AA. consss.*

[a. 287]

8.26.8

*Idem AA. Apollonio.*

Si hypothecas fisco distrahente creditores silentio tradiderunt negotium, palam est actionem suam amisisse eos, quam in rem habebant, nam fiscalis hastae fides facile convelli non debet.

*PP. XIII k. Sept. ipsis IIII et III AA. consss.*

[a. 290]

8.26.9

*Idem AA. Hermiano,*

Cum ex causa mandati pro socero tuo te fenebrem pecuniam exsolvisse proponas, curabit praeses provinciae in restituenda pecunia, quam pro eo exsolvisti, nec non etiam usuris eius indemnitati tuae prospicere.

¶ Nam si recepta a creditore mancipia, quae pignori fuerant data, hac mente socero tuo tradidisti, ut pignoris vinculum dissolvatur, obligatio semel extincta instaurari non potest.

*PP. X k. Oct. ipsis IIII et III AA. consss.*

[a. 290]

8.26.10

*Idem AA. et CC. Quintillae.*

Res pignoris hypothecaeve iure creditoribus obnoxias citra consensum eorum debitores alienantes praecedentem non dissolvunt obligationem.

*D. k. Dec. AA. consss.*

[a. 293]